

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Cogitacio a
cum fonte primo

Quicquid pudet dicere, pudet cogitare.

Quidquid pudet dicere, pudeat etiam cogitare.

Pelagius, *Epistola ad Demetriadem*, 1.21
(PL 30, col.35D).

Est tutissimum atque perfectum
ut assuescat animus sollicita semper et peruigili
custodia discernere cogitationes suas,
et ad primum animi motum uel probare
uel reprobare quod cogitat
ut uel bonas cogitationes alat,
uel statim malas extinguat.
Hinc namque fons est boni et origo peccandi.

Est autem tutissimum atque perfectum,
ut assuescat animus sollicita semper pervigilique
custodia discernere cogitationes suas:
et ad primum animi motum vel probare,
vel reprobare, quod cogitat:
ut vel bonas cogitationes alat,
vel statim extinguat malas.

Hic namque fons est boni et origo peccandi,
omnisque ingentis delicti in corde principium est
cogitatio, quae unumquodque opus velut
in quadam cordis tabula depingit, antequam faciat.
Nam sive ille actus, sive sermo sit,
ut proferatur, ante disponitur, et cogitationum
consilio discernitur quod futurum est.
Vides quam brevi interdum momento
quaeque ista quis cogitet, cogitataque perficiat:
nec quicquam omnino, vel lingua,
vel manu, caeterisque membris agitur,
nisi cogitationes ante dictaverint.
Unde et Dominus in Evangelio dicit:
*De corde hominis procedunt cogitationes malae,
adulterium, fornicatio, homicidia, furta,
falsa testimonia, avaritia, nequitia, dolus,
impudicitia, oculus malus, blasphemia, superbia,
stultitia. Haec sunt quae coinquant homines*
(Matth. xv, 19, 20).

Omnis ergo sollicitudo tua,
omnis intentio debet esse in custodia.

Ibi te maxime oportet observare peccatum,
ubi nasci solet:
statimque ad primam tentationis repugnare faciem:
et malum antequam crescat, extinguere.

Pelagius, *Epistola ad Demetriadem*, 1.26
(PL 30, col.41A-B).

Ibi maxime oportet observare peccatum,
ubi nasci solet;
statimque ad primam temptationis faciem
et malum antequam crescat restringere,
dum adhuc est in cogitatione.

Ieronymus in epistola ad Demetriadem.